

cillitas, roboranda & separanda, cum calor continuo dissipatur. Expultricis autem, si nimium incitata, est cohibenda totumq; corpus commodâ victus ratione restaurandum.

MATERIÆ PRÆSIDIORUM horum omnium, desumendæ sunt ex tribus usitatis fontibus.

I. CHIRURGICO, in quo primum ea occurrunt, quæ sanguinem immediatè evacuant: ut VENÆSECTIO, quæ statim primâ die ad usum deducatur, nam in progressu, cum sermo sit de profluvio immoderato, potius adest penuria sanguinis, quàm redundantia. Verùm perserverate morbo, & virib. permittentibus, eadem repetatur Venæsectio, cum non tam evacuationis, quàm revulsionis & derivationis gratiâ sit instituenda, & ut in hoc casu tutius agatur, laudamus ut parum & per vices sanguis, ad unc. ʒ. vel ij. scil. detrahatur. Sic enim ejus motus, & impetus vitiosus emendatur, atq; virium maxima habetur ratio. Illa autem tum in brachio dextro, tum in sinistro poterit administrari, secundùm quod occasio postulabit. In Diapedesi, cum sanguis sit paucus & serosus, V. S. non convenit. Quod si vires non ferant venæsectionem, CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ probantur, si ut revellentes, apponantur partib. remotis, ut in fluore sangu. ab utero, scapulis; si ut derivantes, ut in narium hæmorrhagiâ, occipiti & collo applicari debent. HIRUDINES etiam, præsertim in consuetis applicari possunt, ideò ratione revulsionis in narium hæmorrhagiâ, apponantur venis ani, in profluvio mensû, venis nariû, ratione derivationis, venis ani, in fluxu narium, post aures applicitæ, quoq; juvât. Imò iis venis apponuntur, quæ antea fuissent secandæ. Secundò, nec ea præsidia omittenda sunt, quæ insensibiliter evacuant, uti sunt CUCURBITULÆ NON SCARIFICATÆ, FRICTIONES, LOTIONES, LIGATURÆ, locusq; in his cucurbit. idem erit, ac in scarificatis. unde ad revellendum sanguinem ab utero, non solum scapulis & partib. supernis appositæ probantur, verùm etiam & sub mammis, atq; in omni fluore, vel jecori, vel lieni; vel quod multis utilius videtur pedi dextro, vel sinistro, habitâ ratione rectitudinis, affigendæ, non in diutius maneant, ne deliquium animi subsequatur. Præter